



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reipol.  
1624.



CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Decima quarta

DE

PRIMO IDIOMA-  
TUM COMMUNICA-  
TIONIS GENERE.

Quam

Annunte *Ἰεωυδελωπω*

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S.Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio examinandam*

*proponit*

M. GEORGIUS SCHLÜSSELBURGIUS,  
Ratzeburgo - Megapolitanus.

*Habebitur 14. Martij, horis pomeridianis  
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,

ANNO MDCCXX



CHRISTOPHUS ZACKR

Duplicatione & vnde quibus

PRIMO IDIOMA

TUM FORMIDIO

TIONIS

Articuli

200 PR

Dr. BALTHASARIS MEISNERI

In officio Collegii

M. GEORGIO SCHLISSELBERGERO

Habebunt



WITTEBERG

Ex officio Johannis GORMANNI

ANNO MDCCX







DE I. COMMUNICATIONIS  
GENERE.

THESIS I.

**V**erè dici : Qui unum non rectè intelli-  
gere volunt , eos multa malè interpre-  
tari oportet : Ecclesia DEI hodie in gente Sa-  
cramentaria ubertim experitur.

II. Posteaquam enim illa primum Articulum de  
Cœna violenter torquere edocta , post ausu plus-  
quam Giganteo, ut nonagenaria CHRISTI ini-  
mica , reliquos Fidei Articulos non tantum malè  
sed & impiè interpretari cepit : uti hoc in præsen-  
tiarum in articulo de Persona CHRISTI per ali-  
quot Disputationes Christologicas probatum, &  
adhuc in doctrina de Communic. Idioma. pro-  
bandum erit.

III. Qua de cum in nupera Disput. generaliter  
actum sit , nunc ad ejus specialiora, recto ordine,  
descendimus ; & quidem hac vice de PRIMO, ut  
vocant , COMMUNICATIONIS GENERE bre-  
viusculè agemus , DEUM Patrem per ipsius Filium  
in Spiritu suo S. & bono venerati supplices , ut ve-  
ritatem ad lucem redigere dignetur.

IV. Dicitur hoc Primum Commun : genus, ut à  
A 2 nomine



I. nomine inchoemus, à veteribus varie, ut : Ἀλλοίωσις, Ἀλλοίωσις ( alternata attributio ) ἑαλλαγή καὶ κοινωβία ὀνομάτων, h. e. commutatio & communicatio, sive quod aptius est vocabulum; communio nominum : Ἐπιξέσις ὀνομάτων q. d. sub - vel adjunctionem nominum : ὀικείωσις vel familiaritas.

V. Hodie vocare consuevimus Communicationem Idiomatum; voce quidem ex diversis veterum sententijs & imprimis ex Chalcedonensi Concilij canone : Una natura agit cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium est; conflatà, minime tamen ὁμοδόξω, ut defendit Piscator Herbornensis Disput. 6. th. 24. Vol. Disp. 2.

VI. Siquidem distinguendum inter commune & communicatum; inter κοινόν & κοινωβόν sive κοινωβητόν. Illud ex communi causa multis inest, & potest etiam esse inter separata. Hoc tantum unam habet causam, propter quam uni inest, & est saltem inter unita. Communicari dicimus Idiomata, non communia.

VII. Et cur ὁμοδόξω proprium dicatur commune si communicetur? Odor Mosci certe ipsi manet proprius, etiam si & aliis rebus communis evadat. Sic igitur proprium potest dici commune, ut uni primario, alteri secundario conveniat.

VIII. De-



VIII. Describitur hoc primum Communicatio- II.  
nis Genus, quod sit : Quando propria natura- Generalis  
rum de persona in Concreto prædicantur; Definitio.  
breviter quidem, sed rectissime.

IX. Exempla hujus Generis sunt, CHRISTUS  
est ante Abraham, Ioh. 8, 58. Filius DEI crucifixus  
est, Hebr. 6, 6. Filius hominis est in cælo, Ioh. 3, 13.  
CHRISTUS est ex patribus secundum carnem,  
Rom. 9, 5. & similia.

X. Enumerantur autem hujus Primi Generis duo III.  
Modi: Primus à subjecto, quod est totum ὅτι- Modi duo  
σαμῶρον adeoque σωαμφοτερον, peculiari no- hujus Ge-  
mine, dicitur σωαμφοτερισμός : à prædi- neris.

cato vero, quod vel divinum vel humanum, Ἐνα- I.  
τέρωσις, Alternatio, vocatur, & est: Cum de to-  
ta persona, non de altera natura seorsim ve-  
rè & realiter alterius naturæ proprium præ-  
dicatur.

XI. Ubi rursus quoad subjecti descriptionem di-  
stincti oriuntur modi; Vel enim illud describitur  
ab utraque natura, quando nimirum de θεω-  
θεωπω divina vel humana prædicantur, ut: CHRI-  
STUS est ante Abraham, Iohan. 8. IESVS  
CHRISTVS heri, hodie, & in secula, hoc est,  
æternus, Hebr. 13, 8. CHRISTVS est ex semine  
David oriundus, natus, passus, &c.

XII. Vel describitur ab humana natura, ut  
Filius hominis existens in cælo loquitur cum Nico-  
demo in terris, Ioh. 3, 13.

A 3

XIII. Ne-



XIII. Necessario hic vulgari distinctiuncula inter subjectum Quod, & subjectum Quo ad Eutichetis errorem, quem ille in confundendis naturis admisit, vitandum, locus relinquendus venit.

XIV. Scriptura & hanc sequenti Orthodoxi determinationem adhibere solent, addendo particulas, ut vocant, Distinctivas ( quæ semper si non exprimentur, tacite tamen subintelliguntur ) ut sciri possit, quidnam Naturis essentialiter seu per nature proprietatem; personæ vero ad propriativè seu per communicationem Idiomatum tribuatur.

XV. Vulgares illæ tres limitationis species; ut sunt I. Reduplicativa, ubi subjectum primo & per se subiicitur predicato, valetque cum determinatione sua tantum in Universalibus II. Ætiologica seu Specificativa, ubi  $\alpha\upsilon\alpha\delta\upsilon\pi\lambda\omega\sigma\delta$  illa non subjectum sed causa ( quæ duo hic à se invicem differunt ) exprimitur, propter quam Predicatum insit subjecto. III. Synecdochica, ubi partis ( quæ de subjecto predicari nequit ) gratiâ dicitur predicatum inesse toti, quod tamen absolute de illo predicari nequit; huic negotio per omnia ad commodari non possunt.

XVI. Sed hunc particula istæ hic obtinent usum, ut distinguant naturas, & ostendant causam propter quam proprietates naturalis, toti Personæ tribuatur.

XVII. Al.



XVII. Alter modus nomine ἰδιοποιήσεως vel ἰδιοποιήσεως venit, quando videlicet de DEO vel λογῶ prædicantur humana, ut Auctor vitæ est interfectus Act. 3, 15. Dominus Gloriae est crucifixus, 1 Cor. 2, 8. Verbum vitæ manibus contrectatum est, 1. Iob. 1, 1. Filius DEI factus est ex muliere, Gal. 4, 4. &c.

XVIII. Qui posterior modus à priori differt I. ex parte subjecti, quod ibi utramque involvit naturam, hic vero non est nisi solus λογῶ & adsumens. II. ex parte Prædicati, quod ibi est alterutrius naturæ proprium: hic vero non nisi humanitatis proprium est, quod adsumendo Naturam humanam λογῶ & sibi simul adpropriavit.

XIX. Patet ex dictis rectius hoc Primum Genus dici ἰδιοποίησιν seu ἰδιοποιήσιν adpropriationem sive communionem, quam Communicationem. Adcurate enim loquendo persona sibi ipsi aliquid communicare dici haud potest, sed tantum sibi naturæ propria ob factam unionem ἑνωστικῆν adpropriat & quidem tam arctè, ut nihil passionis de Humana natura adfirmari possit, quod non in ipsissimum DEI Filium redundet.

XX. Quippe tam ὄντως, hoc est, non verbaliter, nomine tenus, sed realiter & verè λογῶ, suâ naturâ manens impassibilis, in sua carne est mortuus (scilicet personaliter) quàm



IV. *verè & realiter ipsius ( λόγος ) caro propria fuit.*  
De Nesto. XXI. *Apage proinde sit ab Ecclesia Nestorius*  
Lib. 1. de V. *( quem Lutherum excusare adniti, quasi bonum*  
nit. & Tri- *Zelum & fidem rectam habuerit, Greg. de Valen.*  
nit. *secun- mendacissime scribit ) personam ob Idiomatum*  
dum *sec. 7 Communicationis negationem divellens, quasi*  
*quævis natura per se sola seorsim sua ageret.*

XXII. *Et quamvis ὁρθοδοξία quoad Personæ*  
*unitatem tenere videri voluit; dicens: Aufer o-*  
*mnem suspicionem Dualitatis & Filiorum:*  
*dividendo tamen voces, quæ de CHRISTO præ-*  
*dicantur, ac si quædam convenirent Homini*  
*CHRISTO, quædam Homini DEO, atq; sic I-*  
*diomatum communicationem negando personam*  
*solvisse recte Concilium Ephesinum conclusit.*

XXIII. *Etenim actiones & passiones non natu-*  
*rarum sed personæ sunt, qui igitur recte juxta Ne-*  
*storium dici poterit: Hæc agit Divina CHRISTI*  
*natura, hæc agit natura ipsius humana? Hinc*  
*pie Lutherus: ad divisionem operum succedit divi-*  
*sio personæ.*

V. *XXIV. Faceffat similiter à schola omnium so-*  
De Zvvin- *briè piorum ceu pestis vivarum consolationum*  
glio. *Zvvinglij Ἀλλόιωσις, quam talem τῶν ὀνομα-*  
*τῶν ἀντιδοσῶν esse docuit, qua una natura su-*  
*mitur & intelligitur pro altera, sic hæc Propo-*  
*sitio Filius DEI crucifigitur, Hebr. 6. 6. Zvvin-*  
*glio idem sonat, quod Humana natura Filio DEI*  
*unita*



unita crucifigitur. Quo ipso certe & Communica-  
tio & Unio omni realitate ac veritate, salusq; no-  
stra solido fundamento spoliatur.

XXV. Nam pro mundi vita mori certe non est  
tantum naturæ humanæ, sed & ipsius Filij DEI o-  
pus, alioquin incarnari hic non necesse habuisset.  
Vnde unum idemque & Passionis subjectum &  
Fidei nostræ objectum dicit Symbolum Apostolicum,  
nempe JESUM CHRISTUM. Non igitur & nos  
alteram naturam penitus à passione excludi patia-  
mur.

XXVI. Quod ipsum invictè D. Lutherus hoc ar-  
gumento jamdudum obtinuit: Hæc persona  
(monstrato CHRISTO) patitur, moritur. Hæc  
autem persona est verus DEUS. Ergo ve-  
rus DEUS patitur.

XXVII. Quæ Conclusio clarè ostendit ἀδύνατον  
esse, ut τὸ DEUS vel DEI Filius in ejusmodi propo-  
sitionibus pro toto CHRISTO poni possit. Nisi e-  
nim tam in Conclusionem, quàm in Minorem alteram  
duntaxat CHRISTI naturam intelliges, Minor Im luthers  
Anhang des  
ausführlichen  
Berichts  
p. 152.  
Calvinistico absurdo, (quo CHRISTUM &  
Filius DEI æquivalere ab Heidelbergicis scribitur)  
hæc erit: CHRISTUS est CHRISTUS.

XXVIII. Addo & hoc: Ille DEUS patitur, qui  
factus est caro. At qui λόγος, DEUS, non caro  
DEO unita, factus est caro. Ergo &c.

AS

XXIX. Ne-



XXIX. Neque apud solidioris literaturæ Candi-  
datos hanc Ἀλλοίωσιν quidam Calvinicolæ excu-  
sabunt sua Synecdoche quia in ejusmodi pro-  
positionibus partem pro parte dici adse-  
runt, Siquidem crediderim ego, non Synecdochi-  
cè aut tropicè sed satis propriè ipsum loqui qui si-  
mul subjectum Quod & subjectum Quo conne-  
ctit, ut Homo scribit Manu, Deus patitur carne &c.

XXX. Notum præterea est in restrictione Sy-  
necdochica partem restringentem rem non posse  
in casu recto de illa re, quæ restringitur enunciari,  
non enim dico homo est manus &c. quod tamen  
in hoc exemplo fieri manifestum est. Quomodo er-  
go Synecdoche erit? Taceo quod in Synecdochi-  
cis propositionibus pars pro toto, non pars pro parte  
dicatur.

VI. Recen-  
tiorum sen-  
tentia.  
Im ausführ-  
lichen Bericht  
in octavo,  
p. 102. in  
margin. p.  
152.

XXXI. Alij vident Zvinglium hac sua Ἀλλοίω-  
σις & Nestorium non totis, quod dicitur, castris dis-  
sidere, itaq; Lutherum Zvinglij mentem non re-  
tine hic percepisse, sed ipsi aliquid adfinxisse clami-  
tant. Sic enim Heidelbergenses contra VVürten-  
bergicos: H e (sc. ubi Lutherus de maledictâ Zvin-  
gly Ἀλλοίωσις agit) hat D. Luther den Zwin-  
glium nicht recht verstanden. Item: Göt-  
weiß es / vnnnd es kans auch ein jeder Mensch  
wissen / der nur des Zwinglij Schrifften le-  
sen wil / daß D. Luther so wol in diesen (sc. de  
Communic. Idiom.) als in vielen andern din-  
gen



gen dem guten ehrlichen Mann gewalt vñnd  
vnrecht gethan hat. Vñnd daß D. Luther et. p. 153.  
wa dem Zwinglio hat fürgeworffen / als solte  
er von Gemeinschaft der Eigenschafften bey-  
der Naturen in Christo / etc. Gotteslästerlich  
gelehret haben. Aber der Leser sol wissen / daß  
nicht D. Luther selbst / sondern nur D. Luthers  
Zorn solches gethan hat.

XXXII. *Et ut omnem suspicionem à se removeant,* Im kurtzen  
*sic scribunt :* Wenn die Calvinisten das lehre- Anhangs  
ten / daß das Leiden vñnd Sterben Christi / ei- p. 133.  
nes blossen Menschen Leiden vñnd Sterben  
were / so solte man ihnen die Zunge zum Halse  
heraus reissen. *Et post pauca :* Es ist viel ein  
anders sagen / daß nur ein Mensch für vns ge- p. 134.  
storben sey : ein anders / daß Christus nur nach  
der menschlichen Natur für vns gestorben sey.  
*Prius reiiciunt, posterius in suis scriptis Germani-  
cis hinc inde defendunt.*

XXXIII. *Sed veteratorie hæc omnia scribunt,*  
*ut quis mirari possit, qui tam apertam veritatem*  
*infirmare audeant ? Sic Zwinglius ipse ad Con-* To. 2. oper.  
*fessionem Lutheri : Ioh. 3, 13, 14. Filius hominis* f. 449. a.  
*bis nominatus est, nullibi tamen sic utram-*  
*que naturam simul significat : sed primo loco*  
*divinam, secundo humanam duntaxat denotat,*  
*& alibi : Si quando proprietates istæ ( duarum* Volum. 1. p.  
*naturarum in CHRISTO ) videntur permuta-* 624. n. 17.  
*ri, ut cum DEVS gloriæ dicitur crucifixus :*

& si-



Tom. 2. ope. & Filius hominis fuisse in cælo cum esset cum Ni-  
fol. 449. a. codemo in terris, tropus est ἀλλοιωσεως intra  
verba consistens. Et rursus: Veram CHRISTI Divi-  
nitatem agnosco, eamque sic agnosco, Ut ipsi ne-  
quaquam tribuendum censeam, quod illi  
minus convenire potest. Similiter veram quoque  
humanitatem CHRISTI agnosco, ut huic etiam,  
quod in illam non potest competere, nullo modo  
velim tribui.

XXXIV. Et hanc Zvinglij sententiam Luthe-  
To. 2. Vit. rus sic expressit: Hoc Zvinglius, inquit Luth. vo-  
fol. 188. cat *Allaofin*, cum aliquid de Divinitate  
CHRISTI dicitur, quod tamen humanita-  
tis proprium est v. g. Vbi dicitur: Nonne hæc o-  
portuit pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriam  
suam; ibi nugatur Zvinglius, quod vocabulum  
(CHRISTVS) hoc loco pro humana natura su-  
matur.

XXXV. Eant nunc, & dicant bono illi viro (vi-  
delicet Zvinglio, quem solum gallinae albae fi-  
lium volunt) à Luthero factam injuriam, ipsius  
mentem Luthero non recte innotuisse.

XXXVI. Et quid queso aliud hæctenus Luthe-  
rani oppugnarunt in Cinglianis, quam hanc ean-  
dem phrasin: sola natura humana est passa? E-  
differant candidè, quid in CHRISTO differant  
homo & humana natura, nam non de vulgari &  
nudo homine sed de homine DELificato, inter nos  
& illos



*Et illos est questio. In fumum igitur abeunt,*  
*qua scribunt: Wenn man sagt / daß nur ein* Im Luther  
Anhang  
p. 134.  
*Mensch für uns gestorben sey / da Christus*  
*für uns gestorben ist / so ist daß die Mey-*  
*nung / daß Christus / der für uns gestorben*  
*ist / nur ein blosser Mensch / vnd nicht zugleich*  
*Gott vnd Mensch sey. Wenn man aber*  
*sagt / daß Christus nur nach der menschi-*  
*chen Natur für uns gestorben sey / so hats*  
*nicht die Meynung / als wenn Christus / der*  
*für uns gestorben ist / nur ein blosser Mensch*  
*sey: Sondern die Meynung hat es / daß*  
*Christus / ob Er schon zugleich Gott vnd*  
*Mensch ist in einer einzigen unzertrenten*  
*Person / dennoch nicht beydes nach der Gott-*  
*heit vnd auch nach der Menschheit / sondern*  
*allein nach der Menschheit gestorben sey / da*  
*Er für uns gestorben ist.*

XXXVII. *Quibus hoc unicum opponere placet:*  
*Cujus suppositum verè patitur id ipsum etiam pati-*  
*tur Atqui λόγος suppositum verè patitur. E.*

XXXVIII. *Inquis: Deitas non potest mori,*  
*proinde sola mortua est CHRISTI huma-*  
*nitas. Resp. negando consequentiam ex illo πο-*  
*λυπροσάντω. Actiones & passiones sunt suppositi:*  
*Moritur DEVS non in sua natura sed in sua propria*  
*carne.*

XXXIX.



**VI. XXXIX.** *Queritur hic de enunciationibus in abstracto, an ut in Concreto dico DEUS est passus, sic etiam recte Deitas est passa, clavis adfixa, in abstracto?* Resp. Etiam si & veteres & magni nominis Theologi ijs usi fuerint, nos tamen ab istis abstinemus, quia 1. Scriptura eas nescit. 2. Sacrosanctum Ecclesiae nostrae Symbolum, videlicet Liber Christianae Concordiae; qui non tantum est scriptus ratione rerum, ob Fidei Articulos, sed & propter Phrasas, ut certa haberetur norma loquendi in Ecclesia & Predicationibus in concreto uti maluit & 3. ut eo magis adversariorum calumnias declinemus, errorumque Eutichetis & Theopaschitarum suspicionem quam longissime fugemus.

**Gerlach. XL.** *Neque tamen ob id virgulâ censoria Theologos illos, qui sic in abstracto predicari posse statuunt, notandos censemus; Nam illi ipsi ideo hoc adfirmavere, ut eo melius Calvinicolas & Iesuitas Nestorianizantes & Samosatenezantes producere possent: Neque sine determinatione ejusmodi locutiones admittere, aut cum aliquo de illis litigare volunt.*

**XLI.** *Queritur etiam an in illis propositionibus, ubi de homine humana predicantur, sit Communicatio Idiomatum, & an illae: Filius hominis edit, bibit &c. huc pertineant.*

**XLII.**



XLII. Resp. Quidni? Quia non subjectum hic supponit Pro naturæ concreto significante formaliter solam naturam humanam adsumptam, sed pro Concreto personæ, ut significet totum compositum. Ubi enim proprietates uni naturæ conveniens tribuitur personæ in concreto, ibi est communicatio Idiomatum primi generis.

XLIII. Insuper, ut hæc: Filius hominis crucifixus passus est &c. exponitur per Idiomatum Communicationem & recte in primo genere locatur; sic & hæc: Filius hominis edit, bibit &c. Quod enim valet in re pari, valet etiam in re comparari.

XLIV. Ne autem omni fructu & solatio hæc ita in loquendo diligentia carere videatur una vel altera Meditatione practica concludemus.

VIII.  
Meditatio practica.

XLV. Ac proinde sit nobis hæc doctrina i. clavis solatij Christiani. Obstupescit certe animus pius ob tanta misericordiæ viscera, considerans, quod ipse D E I Filius carnis suæ ignominias & passiones per inenarrabilem adpropriationis modum, nostrum causa perferre voluit, ac proinde non dubitari potest, quin is ipse, qui dignum duxit in carne alapas, vincula, sputa irrisiones &c. perferre, ac in se recipere, nos qui sumus ejusdem cum ipso substantiæ, sibi aliquando sit associaturus.

XLVI.



XLVI. *Causet deinde & hæc doctrina in nobis  
severum peccati odium.. Nam ut nos DEO  
viciniores fieremus ipse DEI Filius propter nostra  
peccata carnem adsumpsit, & in ea omnes igno-  
minias portavit. Cur ergo & nos id patremus quod  
Esa. 59, 2. nos à DEO sejungeret? Peccata nostra nos à  
DEO dividunt, fugiamus ergo & detestemur ea  
ne à DEO deviemus. DEO qui adheret, unus  
cum eo est Spiritus. Fac ergo summe DEVS ut tibi  
unice adhareamus per JESVM CHRI-  
STVM in Spiritu tuo sancto,  
AMEN.*


F I N I S.
















Farbkarte #13

B.I.G.

|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|

LOGIAS SACRÆ  
 o Decima quarta  
 DE  
 IDIOMA-  
 COMMUNICA-  
 NIS GENERE.  
*Quam*  
*ente Θεωρεώπω*  
 PRÆSIDIO  
 SARIS MEISNERI  
 neol. D. & P. P.  
*llegio examinandam,*  
*proponit*  
 S SCHLÜSSELBURGIUS,  
 go - Megapolitanus.  
*artij, horis pomeridianis*  
*inori Auditorio.*  
 (✠) S  
 FEBERGÆ,  
 HANNIS GORMANNI,  
 cio 13 c xx